

noster preiudicium aliquod generari, set vult iura sua quibuslibet fore salva. Idem eciam dominus noster in predictis locis Bopardia et Wesalia sibi^a liberum introitum, exitum et adiutorium pro suis et imperii reservat negociis, prout prius habuit in eisdem. Preterea vult idem dominus noster rex nos vel nostros successores in predictorum reddituum iuxta modum superius declaratum pacifica possessione gaudere, quousque per dominum nostrum vel suos successores predicta marcarum summa cum accessorio sive dampnis per dictos . . comitem et procuratorem ipsius nostri domini declarandis nobis et nostris heredibus plenarie fuerint exsolute. In cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

Dat. Wiene, in epiphania Domini, anno eiusdem MCCLXXVIII.

Nur Siegelschnitte. Hand der Kanzlei Rudolfs.

V. König Rudolf verkündet eine Steuerbefreiung für die Bürger von Regensburg. 1279 Dec. 7.¹

Or. Reichsarchiv, Kaiserselect Nachträge 83.

Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis imperii Romani fidelibus presentes | litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

Ad universorum sacri Romani imperii fidelium noticiam volumus pervenire, quod nos devota et utilia que prudentes viri cives Ratisponenses fideles nostri dilecti nobis et imperio impenderunt obsequia gratiosius intuentes, ipsis hanc nostre munificentie gratiam pre ceteris dignum ducimus impertiri, videlicet quod statutum illud, quod de recipiendo a quibuscumque mercatoribus partem octavam mercimoniorum omnium statuisset dinoscimur, quoad eos presentibus irritamus et simpliciter revocamus, promittentes bona fide, quod nullo unquam tempore inantea ipsos cives Ratisponenses aliquibus novis statutis, qualitercunque ordinata fuerint, volumus pregravare, sed eos ab illis, si qua fierent statuta, liberos prorsus esse volumus et exclusos. Preterea volumus et eisdem civibus liberaliter indulgemus, quod more solito dicti cives de Ungaria per terras Austrie libere argentum suum deducant, universis et singulis

a) Ueber der Zeile nachgetragen.

1) Reg. imp. VI, 1152. Böhmer, Reg. Rudolfs 521. Bisher nur im Extract bei Gemeiner.